

Publication/Creation

June 1949

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rkukshya>

License and attribution

Wellcome Library; GB.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

A res fiunt: ea uero quæ à superioribus deorsum decumbunt, non item. Attamen anginae rubores, & laterum dolores fiunt secundum rectum. Contemplandum quoque num ea quæ infra iecur ex superioribus distributa sunt, ueluti in testes & uarices, secundum rectitudinem fiant. Speculanda hæc, quò, unde, & quamobrem abscedant.

Quod naturæ in expellendis redundantibus motus, num scilicet in rectum aut contra fiat, diligenter à medico considerandus sit, hac sententia Hippocrates monet. In rectum uero dici intellige, quod Hippocrates κατ' ἰξίς nominat, de cuius significatione plura parte prima diximus. Non autem temerè rectitudinem in expulsione superuacuum considerandam esse hortatur: nam quodcumque in rectum natura redundantias corporis expellit, tum is motus naturæ fortitudinē, quæ uniuerſa superuacua in locum è directo positum reposuerit, miramque redundantiarum paucitatem portendit, ideoque hoc nomine optimus existit. Qui uero ex aduerso fit, malus propterea est, quod facultatem debilem, nec rite se à superuacuis expurgantem, illorumque magnā copiam significat. Quum uero nunquam nō natura in rectum superuacua sua expellere conetur, debet certe medicus hanc, utpote cuius minister est, in suis euacuationibus imitari. Neque enim euacuationi locus alius commodior est,

In rectum.

Aph. 5.

Rectitudo cur
consideranda.

B quam qui uicinus existit, & secundum rectum procedit: id quod in euacuatione quæ per uenæ sectionem fit, euidentissimum est, quemadmodum Galenus in libro de constitutione artis medicæ ipsi confirmat uerbis: ἡ γὰρ τὴν ἐγγυτάτω τε καὶ κοινῶν τῶν περὶ τὸν δόρυ μορίῳ φλεβῶν κοινῶσι ἀείσσει τε καὶ ἔλκει. quod est: Optima namque & facillima est euacuatio, quæ per proximas, & affectæ parti communes uenas fieri solet. Non est uero quod in iudicationibus duntaxat morborum, hunc naturæ motum qui fit in rectum consideremus, sed etiam in ipsis morbis, num scilicet ob redundantias quæ à membris quæ è directo partem affectā respiciunt decubuerunt, procreati sint. Hinc est quod de utrisque hic mentionē faciat Hippocrates. Primo enim aliqua morborum genera quæ in directum fiunt recenset, dein etiam de motu naturæ, quem in iudicando morbo natura efficit, exemplum refert. Inter morbos itaque qui in rectum fiunt, hoc est, qui generantur propter redundantias quæ ex partibus in rectum sitis procumbunt, laterum dolorem enumerat Hippocrates. Unde certe colligere licebit eius curationē nullam esse commodiorem, quàm eam quæ fit per eius uenæ sectionem quæ in rectum est. Si enim natura, ex partibus quæ è directo posita sunt, in affectum latus redundantias detrudit, debet certe ex eodem latere quod redundat educi, quod ita illorum uacuatio commodissime fiat. Hinc est quod alibi moneat Hippocrates: ἀλλ' εἰ ἀγῆ, ταύτη ἀγῆ ὅκου ἀν' ἡ μάλιστα ἔρεπῃ ἢ φύσις διὰ τὴν συμφέροντων.

5. 2 sententia cuius
i paradoxus, 1mo 7
ad Hippo.

Morbi qui in re-
ctum fiunt.

aph. 21.